

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Voluntas ah cum fonte primo

Inter has utrasque concupiscencias anime uoluntas in mediculio est quodam uituperabiliore consistens, nec uiciorum flagiciis oblectatur, nec uirtutum doloribus acquiescit, sic querens a passionibus temperari carnalibus ut nequaquam uelit dolores necessarios sustinere, sine quibus desideria spiritus nequeunt possideri, absque castigatione carnis castimoniam desiderans optinere, sine uigiliarum labore cordis acquirere puritatem, cum requie carnis spiritualibus exuberare uirtutibus, absque ullius exasperatione conuicii paciencie gratiam possidere, humilitatem Christi sine honoris mundani exercere iactura, religionis simplicitatem cum seculari ambitione sectari, Christo cum hominum laude ac fauore seruire, discretionem ueritatis sine cuiuspian uel tenui offensione proferre, postremo sic uult futura consequi bona ut praesentia non amittat.

In collatione Danielis abbatis.

Inter has igitur utrasque concupiscencias animae uoluntas in meditullio quodam uituperabiliore consistens nec uitiorum flagitiis oblectatur nec uirtutum doloribus acquiescit, sic quaerens a passionibus temperare carnalibus, ut nequaquam uelit dolores necessarios sustinere, sine quibus desideria spiritus nequeunt possideri, absque castigatione carnis castimoniam corporis desiderans obtinere, sine uigiliarum labore cordis acquirere puritatem, cum requie carnis spiritualibus exuberare uirtutibus, absque ullius exasperatione conuicii patientiae gratiam possidere, humilitatem Christi sine honoris mundani exercere iactura, religionis simplicitatem cum saeculari ambitione sectari, Christo cum hominum laude ac fauore seruire, distriktionem ueritatis sine cuiuspian uel tenui offensione proferre: postremo sic mauult futura consequi bona, ut praesentia non amittat.

Iohannes Cassianus, *Conlationes XXIII.*, 4, 12, 1 (CSEL 13, M. Petschenig ed., p.106, ll.3-17).